

cavum enim clipeum; et Ennius item ad cavationem

Caeli ingentes fornices ¹⁰.

[20] Quare ut a cavo cavea et caullae et convallis, cavata vallis, et cave(rn)ae (a) cavatione ut cav[i]um, sic ortum, unde omnia apud (H)esiodum ¹¹, a chao(cavum, a) ¹² cavo caelum.

[4, 21] Terra dicta ab eo, ut Aelius ¹ scribit, quod teritur. Itaque tera in augurum libris ² scripta cum R uno. Ab eo colonis locus com(m)unis qui prope oppidum relinquitur territorium, quod maxime teritur. Hinc linteum quod teritur corpore extermentarium. Hinc in messi tritura, quod tum frumentum teritur, et trivolum, qui teritur. Hinc fines agrorum termini, quod eae partis propter limitare iter maxime teruntur; itaque hoc cum I ³ in Latio aliquot locis dicitur, ut apud Accium ⁴ non terminus, sed ter(i)men; hoc Graeci quod τέρμονα. Pote vel illinc; Euander enim, qui venit in Palatium, e Graecia Arcas. [22] Via[s] quidem iter, quod ea vehendo teritur, iter ite[ru]m actus, quod agendo teritur; etiam ambitus (i)ter, quod circumeundo teritur; nam ambitus circuitus; ab eoque Duodecim Tabularum interpretes 'ambitus parietis' ⁵ circuitum esse describunt. Igitur tera terra et ab eo poetae ⁶ appellarunt summa terrae quae sola teri

10. *Ib.*, v. 374.

11. Cfr. *Theog.*, 123.

12. L'integrazione è dello Schiopp.

[4.] 1. Cfr. GRF, p. 67.

2. Cfr. *F(ragmenta) A(uguralia)*, ed. Regell, p. 16.

3. S'intende, dopo la r.

4. TRF³, p. 262.

5. Cfr. GRF, p. 113.

6. Cfr. ENN., *Ann.*, 455 V².

M. Terentii Varronis De Lingua Latina

Quemadmodum uocabula essent imposita rebus in lingua latina sex libris exponere istitui de his. Tris ante hunc feci quos Septimio misi. In quibus est de disciplina quam uocant etimologiam. Quae contra ea dicerentur uolumine primo: quae pro ea secundo: quae de ea tertio. In his ad te scribam a quibus rebus uocabula imposita sunt in lingua latina. & ea quae sunt in consuetudine apud poetas: Cui unius cuiusque uerbi nature sint duae a qua re & in qua re uocabulum sit impositum. Itaque a qua re sit perinatia cum sequitur ostendit esse a perendo. in qua re sit impositum dicitur cum demonstratur in quo non debet perendi: & perendit perinatiam esse. Quod in quo oporteat manere si in eo perstet perinatia sit: priorem illam partem: ubi cur: & unde sint illa uerba scrutatur. greci uocant etimologiam. Illam alteram de quibus duabus rebus in his libris promiscue dicam: sed ex illis de posteriore. Quae ideo sunt obscura: quod neque omnis impositio uerborum extat: quod uetustas quaedam deleuit: nec quae extat sine modo omnis imposita: nec quae recte est. Imposita cuncta manent. Multa enim uerba litteris commutatis sunt interpellata. neque omnis origo est nostrae linguae Euernaculis uerbis. Et multa uerba aliud nunc ostendunt: aliud ante significabant ut hostis. Nam tum eo uerbo dicebant peregrinum: qui suis legibus uteretur: nunc dicunt eum quem tum dicebant per duellum. In quo genere uerborum tua causa erit illustris: unde uideri possit origo. Inde repetam. Ita fieri oportere apparet quod recto casu

La prima pagina del libro V nell'editio princeps del *De lingua Latina*.

(Roma, 1471).